

M. P. C. P.



Valentini Thebani Goni
v April 1618
Francofurti ad Viadrā

29



Συμ̄ Οἰσ̄
QUÆSTIONUM THEOLOGICARUM EX EPITOME FORMULÆ CONCORDIÆ
DECAS II.

DE
PECCATO ORIGINALIS,

PRESIDE
POLYCARPOLYSERO
SS. Theol. Licentiato & Profefs.
Extraordinario.

RESPONDENTE
M. GEORGIO STROMAIERO
Ulmenfi Suevo.

*Disputabitur ad diem 16. Martij horis
à sexta matutinis.*

WITTEBERGÆ,
Excusa à JOH. GORMANO, Anno 1611.



NOBILISSIMIS, AMPLISSI-
mis & Prudentissimis VIRIS, Reipub,
Ulmenfis Ædilibus, ac Senatoribus
dignissimis,

Dn. IOHANNI ABRAHAMO
EHINGERO,

Dn. IOHANNI SCHERMEIERO,

Dn. IOHANNI HENRICO
GIENGERO,

Meccœnatibus, Patronis, ac Fautoribus suis
omnivenerationis cultu pro-
sequendis,

Quæstiones hæc Theologicas

In grati animi τεκμήριον
& studiorum σημεῖον

*Humiliter ac Officiosè
offert ac dedicat*

M. Georgius Stromaier Ulmenfis
Respondens.



DISPUTATIO II.

Ex Epitome Formulae Concordiae,

DE PECCATO ORIGINIS.

QUÆSTIO I.

Cum rationi humanæ Peccati Originalis foeditas planè ignota sit, utrum in explicatione ejus hac de causa vocabulis ex Philosophorum scholis petitis planè etiam abstinendum?

Thesis I.



*Um haud obscure cerneret Flaciana cohors, (contra quam hic Articulus præcipuè militat) propositio-
ne hac Peccatum Originis est accidens, stante
suam illam, Peccatum Originis est substantia,
collabi: illà vero protritâ & explosâ trophæa se pas-
sim statuere posse: quantis poterant furorum & con-
vitiatorum nymbis ac tempestatibus eam unâ cum to-
ta Philosophia subruere, evertere & destruere moliebantur.*

II. Et sanè cum de quolibet capite doctrinæ Theologicæ lo-
quendum & sentiendum sit secundum fundamenta & principia
Theologica: certè doctrinam de Peccato Originis, non ex præscripto ra-
tionis, cui planè est ignota ejus origo vis, & efficacia Psal. 19, 13. Psal. 90,
8. & Rom. 7, 7. vide Chemnit, Part. I. Loc. Com. p. 523. tractan-
dam esse, sed ad normam sacræ Scripturæ exigendam ultro fatemur.

III. Nimis tamen largiter hinc concludunt, qui vociferantur, nefas
esse Philosophicis uti vocabulis in explicatione hujus articuli fidei, quod no-
stri Flaciani tò accidens eliminantes, faciunt.

A 2

4. Respon-

IV. Respondemus enim per distinctionem ex Formula Concordiæ p. 578. Vocabula illa Philosophica, cum ea non sint Scripturæ sacra vocabula, præterea etiam à plebe non intelligantur, abstinendum est ab illis in publicis sacris concionibus, ubi indocta plebs docetur: & hac in re simplicium & rudiorum merito habenda est ratio. In scholis autem & apud homines Doctos (quibus horum vocabulorum significatio nota est, & qui ipsæ rectè atq; citra abusum uti possunt, proprio discernentes essentiam alicujus rei, ab eo, quod aliunde ei accidit & per accidens inhaeret) in disputatione de peccato Originis, retinenda sunt. Nam hisce vocabulis discrimen inter opus DEI & inter opus Diaboli quam maximè perspicuè explicari potest.

V. Certè Julianus hac arte vastationem Ecclesiæ Dei aggressus est, quod adictis prohibuit, ne Christianorū liberi Ethnicis literis imbuerentur, ita enim fore sperabat, ut hæreses gentium minus validè aut dextrè refutare possent.

VI. Manet equidem ingens discrimen inter fidèi articulos rationi ignotos, & res, quæ in Philosophia traduntur: nec res fidèi ex Philosophia petenda: nec eadem articulorum fidèi norma constituenda: nec illi cum dictatis rationis humanæ confundendi. Sed inde tamen non sequitur, artes liberales delendas esse in Ecclesiâ, & Philosophiam in ijs quoq;, quæ recta sunt, ut infamem ex Christi domo, quasi scopis cæsam profligandam & relegandam esse. Ecclesiâ enim DEI inter homines versatur in hoc mundo, idèò & eam indigere hisce donis DEI & veluti instrumentis quibudam certum est, ad sermonem intelligendum, ad disponendas res, & non confuse tradendas. Wigandus;

VII. Et videte insaniam & perversitatem! dum enim plenis buccis detonant ac tumultuantur in Philosophiam, ipsi multo crebrius vocabulis Dialecticis & regulis Philosophicis utuntur: Perpetuo enim crepant, peccatum esse substantiam, essentiam, formam essentialè, esse substantialem, essentialè hominis metamorphosin factam: & alia innumera.

VIII. Hanc ergo licentiam cum sibi sumant pervertendi & obscurotandi pleraq;: relinquatur nobis vicissim libertas explanandi ea, ne imperitis erroribus illis, antequam animadvertant, illaqueantur.

QUÆSTIO II.

An sit Peccatum Originis?

IX. Non quidem opus videtur inter Christianos prolixè & anxie disputare de hac questione: nisi nullum dogma tam absurdum, quin suos habeat defensores.

10. Pela-

X. Pelagiani, circa Annum Christi 400. inter alia statuebant, nihil esse peccatum, nisi quod actione propria voluntatis committatur: quo pronunciatum peccatum Originis plane tollitur.

XI. Pelagianizant hodie, hoc in doctrina Christiana capite, tres aliàs diversa secta: Anabaptistarum, Cinglianorum, Pontificiorum; quod demonstrare refutare erit.

XII. Anabaptistarum quae sit sententia non est obscurum. Docent enim peccatum Originis in infantibus non esse peccatum damnans, nec in eis esse peccatum Originis quoad damnationem, quia Christus omne abstulerit, quod sit damnabile sive vocetur inclinatio sive concupiscentia, juxta illud: Ecce Agnus DEI qui tollit peccata mundi. Item omnes homines, propter sua ipsius peccata, & non propter Adæ peccatum damnari. In colloqu. Franc. citante Wigando.

XIII. Ex horum schola prodijt Zwinglius in declar. de Peccato Orig. ad Urbanum Rhegium sic scribens. Quid brevius aut clarius dici potuit, quam Originale peccatum non esse peccatum, sed morbum, & Christianorum liberos, propter morbum istum non adduci aeterno supplicio. Contra verò quid imbecillius dici potuit, & à canonica Scriptura alienius, quam Baptismi lavacro hanc calamitatem levare, penuria verò illius intentari: & non tantum esse morbum, sed etiam reatum, & post pauca: Sic ergo diximus Originalem contagionem morbum esse non peccatum, quod peccatum cum culpa conjunctum est: culpa verò ex commisso vel admissio ejus nascitur, qui peccatum designavit. Vide ibi plura in hanc sententiam.

XIV. Ab his non alieni sunt Pontificii: disputant enim nullum esse peccatum nisi voluntarium: affirmant nullum peccatum esse posse, ubi lex non sit posita: contendunt naturalia post lapsum mansisse integra: tribuunt infantibus sine Baptismo discedentibus naturalem quandam beatitudinem: vocant Peccatum Originis minus peccato minimo veniali, quod dicitur peccatum analogisè non exquisitè: negant concupiscentiam in renatis reliquam esse peccatum: Hac si vera sunt, uti vera illis videntur, Peccatum aliquod Originis esse verum haud eris.

XV. Sed si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. 1. Johan. 1, 8. Omnes enim sumus natura filij irae. Ephes. 2, 3. & quod ex carne natum est, caro est. Johan. 3, v. 6. Ecce sanctissimus David, ex Abrabæ semine, oriundus fatetur, quod in iniquitatibus conceptus sit, & in peccatis conceperit eum mater ejus.

A. 3.

Psalm

Psal, 51, 7. Fateamur ergo & nos cum Paulo per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt. Rom, 5, 12.

QUÆSTIO III.

Quid sit Peccatum Originis ?

XVI. Quæstio hac summè necessaria est: cui enim vera peccati ratio ignota est, ei de lapsu & corruptione humana, de gratia redemptionis, de Iustificationis beneficio & similibus capitibus fidei rectè constare nunquã potest.

XVII. Visum aliquibus fuit, peccatum Originis nullo modo definiri posse. Hinc factum ut rarius hujus partis doctrinæ Christianæ explicatio à Theologis suscepta olim fuerit: quæq; de eadem parte commentationes institutæ sunt, manca perquam sint & arida. Mylius in A. C. p. 30.

XVIII. Nonnullis visum fuit liberam hac de re opinandi potestatem omnibus relictam esse, sic placuit Albert. Pigghio & Conciliabulo Tridenti congregato: itaq; ne nunc quidem quid sit peccatum Originis, & in quo consistat propria ejus ratio, Ecclesiastica definitione apud Pontificios constitutum est.

XIX. Circumferuntur tandem vulgò definitiones peccati Originalis variæ, sed mutilæ plerunq; parte unâ nimis stricte pro toto ipso posita. Nos pauculis præmissis exactiorem dabimus.

XX. Peccatum sic in genere definiente Apostolo, 1. Joh. 3, 4. ἁνομία, hoc est, quicquid à perfectissima justitiæ divinæ norma aberrat, iram DEI concilians & severissimam promerens pœnam.

XXI. Cum itaq; peccatum ἁνομία sit, in eas cadet creaturas, quibus ὁ νόμος sive lex proponitur, hoc est, rationales, Angelos & homines. Erit ergo vel in Angelis; vel in Homine, in quo peccati rationem habet, quicquid hominem à notitiâ & amore DEI & dilectione proximi avertit.

XXII. Peccatum in homine vel Primum est transgressio videlicet mandati divini in paradyso facta per Satanae deceptionem, vel Ortum, quod est tum natura ipsius vitium, tum actionum humanarum ἀρετή.

XXIII. Est ergo vel Originale sive naturale (de quo hoc loco actu-ri sumus) vel Actuale, de quo alibi.

XXIV. Originale malum aliter in primis parentibus, quibus voluntate & actione contractum, aliter in nobis, quibus connascitur definiendum est.

XXV. Peccatum Originale in primis parentibus fuit legis di-
vine svasu Satana, voluntaria transgressio, qua imago illa DEI amissa, tota
natura horribiliter depravata, corrupta & rea facta est ira divinae, mortis
& aeternae damnationis.

XXVI. Peccatum Originale in nobis est morbus seu vitium, quo
post lapsum Adae omnes homines secundum naturam propagati nascuntur
cum peccato, hoc est, sine metu DEI, sine fiducia erga DEUM & cum concu-
piscencia, damnans & asserens nunc quoque aeternam mortem his, qui non re-
nascuntur per Baptismum & Spiritum sanctum. A. C. p. 9.

XXVII. In definitione ergo Peccati Originalis sequentia notanda
veniunt.

1. Ipsa vox seu definitum, quod quoad literam in Scriptura non
reperitur: sed Augustino potissimum ascribitur: nec ab origine creati mun-
di, sed uniuscujusque hominis in peccato concepti dicitur Rom. 5, 12.

2. Causa efficiens (ἐν τῷ λατῆρὶ enim his terminis utimur, non ex-
quisitè) eaque propinqua, Adamus, per cuius Lapsum, peccatum intravit in
mundum, Rom. 5, 12. 1. Tim. 2, 12.

3. Subjectum: omnis scilicet & totus homo: omnes enim peccave-
runt. Rom. 2, 23. omnes natura filij irae. Eph. 2, 3. & in peccatis concepti
Psal. 51, 7. solus Christus, qui secundum naturam non conceptus, à lue ista
immunis natus est: Totus quoque immundus conceptus. Job. 14, 4. mens cor-
rupta. 1. Tim. 6, 5. corruptum Jer. 17, 9. omnia denique membra arma
iniquitatis. Rom. 6, 13.

4. Instrumentalis causa est carnalis propagatio: nascuntur
enim omnes cum peccato, quia ab Adamo in omnes posteros transit, Rom.
5, 11. qui ad imaginem suam eos genuit. Gen. 5, v. 3. & quod de carne natum
est, caro est. Joh. 3, 6.

5. Materia quasi ex qua; quae privatio est & defectus, seu carentia
Originalis justitiae debita inesse, nascimur enim sine metu DEI, sine fidu-
cia erga DEUM Rom. 3, 10. & seq. 1. Cor. 2, 14. & vitiosus habitus seu
prava concupiscencia. Rom. 7, 7.

6. Forma; illa est aberratio & deflexio ultima à norma legis in na-
tura ipsa: Lex enim non tantum fructus, sed etiam radicem malam repre-
hendit.

7. Effectus tum adjuncta propria: quorum in censu sunt reatus si-
ve obligatio partim ad poenam temporalem, partim ad aeternam damnati-
onem. Rom. 5, 18.

Definit: peccati Ori-
ginalis 2.

8. His

8. His addatur *ἡγορία*, quo accidens peccati Originalis ostenditur, Remissio sc. peccatorum: *cujus medium Baptismus est*, in quo regeneramur per Spiritum sanctum, Tit. 3, 5.

XXVIII. Secundum hęc definitionum Peccati Originalis examen instituat, & in qua ea omnia expressa inveniuntur, recipiatur: reliquis non quidem explosis, sed tamen perficiendis.

QUÆSTIO IV.

Quanam origo & sententia Manichæorum de Peccato Originis fuerit?

XXIX. Scythianus quidam nomine, mercator Saracenus in Aegypto domicilium rerum suarum collocavit: ubi autem disciplina Aegyptiorum erat institutus, Empedoclis & Pythagoræ opinionem in Christianam religionem introducere contendit, duas naturas, alteram bonam, alteram improbam asseruit: sed hic domus sua ruina miserè oppressus periit.

XXX. Discipulum & successorem is reliquit nomine Buddam, cognomine Terebinthum, qui & ipse, cum se quosdam ritus sacros exequi simularet, à maligno spiritu è sublimi præceptus dejectus est.

XXXI. Huic successit Manes, qui quod hunc errorem adhuc occultum in lucem produxit, autor & parens hujus hereseos creditus est (Vnde ejus sectatores Manichæi dicti sunt) cum tamen is non adinvenit hanc heresin, sed tanquam per manus traditam à Scythiano acceperit, & quatuor Libros à Budda conscriptos, sed clam habitos, tanquam suos evulgarit. Postquam hic multos in fide labes acceisset, & suis incantationibus Regis Persarum filium necasset, vivus ab eo excoxiatus est, sicq; insignis illa humani generis pestis interiit. Socrates lib. 1. hist. Eccles. c. 17.

XXXII. Quamvis autem omnes serè doctrina Christiana articulos sordidavit; tamen nos de Originis tantum malo acturi, tres eum in illo Loco fovisse errores deprehendimus Chemn. part. 1. Loc. C. p. 587.

XXXIII. 1. De causa efficiente, Duo enim diversa rerum principia aeterna & sibi mutuo contraria constituebat: quorum unum bonum fit, & boni auctor; alterum malum omnis mali auctor: illud principium vocat DEUM hoc Diabolum. Itaq; dixit: Peccatum in principio esse creatum à malo DEO, & nunc nascentes contrahere peccatum, non ex propagatione carnali, sed esse opus DEI formantis & creatis ipsum peccatum in homine.

14. 2. De

XXXIV. 2. De subjecto: 1. Statuit peccatum esse ῥοικον per se viventem & subsistentem, non qualitatem aut affectionem, qua substantia à DEO data supervenerit. 2. hanc substantiam in quosdam tantum homines χοινης transfundi sinit: eos vero qui sunt ex natura lucis, mundos esse ab omni vitio.

XXXV. 3. De liberatione ab hoc malo: Docuit enim aliquos homines ita natos esse in peccatis, ut ne per Christum quidem liberari possint (attendite Calviniani) & hos ελεύτης vocavit. In Electis vero suis quos ita vocabat fingebat post purgationem, in hac vita plane nullas remanere reliquias peccati (attendite Iesuitæ) sed in universum tolli ex hominis natura etiam in hac vita.

XXXVI. Blasphemis his delictis tota se opposuit purior antiquitas, & tam acriter, ut nimis in alteram partem declinarent, id quod certamina testantur Pelagiana: sed inveniuntur hodieq; qui in Manichei cineribus ignem querunt, & de novo Manichæorum errores fovent ac suscitant. Callianus.

QUÆSTIO V.

Quæ origo & sententia Flacianorum de Peccato Originis fuerit?

XXXVII. Fuit sanè Matthias Flacius Illyricus præstantissimus Theologus, qui vel solus veritatem cælestem D. Lutheri studio pristino nitenti restitutam, adversus omnis generis corruptelas, magno spiritu & zelo asseruit & propugnavit: sed qui existimat se stare, videat ne cadat I. Corinth 10, 12.

XXXVIII. Inter cæteros quibus tum illi res fuit, erat Victorinus Strigelius Jenensis Academiae Professor, qui aliquandiu Pelagianismum fovit, & Libero Homini Arbitrio nimium tribuit: Huic masculè sese Illyricus ac animosè opposuit.

XXXIX. Durat hoc annos aliquot donec Illustrissimi Saxonie Principes, quo igni gliscenti occurrerent & turbas illas sedarent, Anno 1561. Mense Augusto Disputationem instituunt Vinarie in Thuringia.

XL. In illa cum Victorinus peccatum Originis nimium exenueret, & per illud tanquam accidens, substantiam non posse corrumpi pugnaret, ut ita σώρηται suam tueretur: Illyricus fervore disputationis abreptus, sessione secunda hoc Paradoxum producit & defendit. Peccatum est substantia.

B

41. Mone-

XL I. Monetur statim à Collegiis ne jamdudum damnatam Propositionem defendat bonamq; suam causam deforme: sed contra omnium expectationem hoc delirium defendere studuit.

XL II. Durabat hac velitatio annos aliquot verum intra privatos quasi parietes continebatur, donec Anno 1567. Illyricus Clavem suam divulgaret, in cuius parte secunda, tractatu sexto, infelicem illum suum sœtum, toti mundo spectandum protulit. Acquisiverat enim interea temporis sibi aliquot astipulatores, Cyriacum Spangenbergium, Pastorem Mansfeldensem, D. Johanem Fridericum Cœlestinum, Professore Jenensem, Christophorum Irenæum & alios; qui ab eo tempore non tantum varijs Scriptis Ecclesiam DEI turbarunt, sed & quamplurimas Ecclesias occuparunt; ita ut ex omnibus erroribus (excepta heresi Calviniana) qui in Libro Concordiæ refutantur, nullus sit, qui tam longè lateq; disseminatus sit, atq; hic ipse.

XL III. Sed qua de re contenditur inter Illyricum & Antagonistas? Dilucidè id explicat status controversiæ in Formula Concordiæ positus: An peccatum Originale sit propriè & absq; omni discrimine, Ipsa hominis corrupti natura substantia & essentia, aut certè principalis & præstantissima pars ipsius substantiæ: utpote ipsa rationalis Anima in summo suo gradu & in summis ipsius viribus considerata. An verò inter hominis substantiam, naturam, essentiam, corpus & animam etiam post lapsum humani generis & inter Originale Peccatum aliquod sit discrimen, ita ut aliud sit ipsa natura, & aliud ipsum peccatum Originis, quod in natura corrupta hæret, & naturam etiam depravat.

XL IV. Nec injuriam hic fieri Illyrico patet ex part. 2. Clavis Script. f. 482. Et ut tanto liquidius suam mentem declararet, solitus quoq; est adversativam ponere: nimirum Peccatum Originis non esse morbum qui accesserit ad naturam: non esse vitium quod inflictum sit humane nature: non esse accidens quod aliunde accesserit ad hominis substantiam, eamq; corruperit: sed esse ipsam cordis & animæ substantiam, quæ prius quidem bona condita sit à DEO; sed nunc à Satana trans-

formata & in pessimam arborem.

mutata.

Quæ-

QUÆSTIO VI.

Quid ergo commune habet error Illyrici cum veteri Hæresi Manichæorum?

XLV. Conatur Irenæus in libr. contra For. Conc. edito nostros Manichæismi accusare, se verò suumq; Flacium ab eo liberare, sed quam frigide & sophisticè Exanimis illius refutatio cap. ult. testatur.

XLVI. Equidem non omnia Manichæorum deliria etiam in hoc ipso de Peccato capite Illyrico objicimus, neq; necesse est, ut in omnibus cum Manichæo conveniat, qui Manichæus dicendus: sufficit si aliquos errores cum ijs communes habeat.

XLVII. Fatemur in eo discrepantiam esse, quod Veteres Manichæi dicebant, Peccatum esse quiddam separabile ab homine & non ex lapsu Adami ortum, sed sic à malo DEO creatum & in hominem infusum. Illyricus verò statuit Peccatum Originis non esse quiddam separabile ab homine, sed ipsam hominis corruptam naturam, ipsam animam in summo suo gradu, quo cum DEO agere debebat: sed hæc suo relinquimus loco.

XLIIII. Ex sequentibus verò ut sese ritè expediant Flaciani rogamus.

1. DEUS peccatum non creat: corrupta natura est ipsum peccatum.
E. DEUS illam non creat. Sine creatore autem existere non potest. E. necessario Satanam tandem creatorem agnosceret; à quo peccatum Originem habet. Num hoc angelica virtuti transcribendum dispiceant?

2. Augustin. cont. Secundinum Manichæum e. 12. testatur; quod omnis inter Manichæos & Orthodoxos discretio sit, quod illi substantiã esse quandam malam dicant: hi verò non substantiam sed inclinationem. Et quamvis pro substantia Flaciani substituunt corruptam naturam, res tamè in idem recidit: nam & corrupta natura est substantia licet corrupta sit.

3. Idem August. l. 6. cont. Faustum Manichæum, asserit illos docere, duas esse distinctas substantias in homine renato, & apud Paulum duos homines veterem & Novum. Rom. 7. significare duas diversas species. Num dissentit Illyricus scribens in Confess. sua p. 188. in uno eodemq; renato esse duos diversissimos homines: Item: Veterem & Novum hominem apud Paulum significare duas substantiales formas in uno subjecto?

4. Tandem August. contra duas Epist. Pelagij ad Bonif. l. 2. c. 2. ubi inter se confert Manichæos & Pelagianos sic scribit: Manichæi carnis

concupiscentiam, non tanquam accidens vitium, sed tanquam naturam ab omni eternitate malam vituperant: Pelagiani eam tanquam nullum vitium, sed naturale sit bonum insuper laudant. Quam verò miserè Flaciani Orthodoxum nostrum traducant Accidens, vel inde patet, quod nos Accidentarios vocant, & assertione hac; Peccatum est accidens; tetram noxiamq; Originalis justiciæ & injusticiæ extenuationem, totiusq; doctrine illius obscuracionem sequi contendunt. Illyr. in Confess. proluxa p. 8.

QUAESTIO VII.

An Peccatum Originis sit substantia?

XLIX. Quamvis varijs multisq; modis Illyricus & socij suum delirium mutarint ac variarint: constat tamen tum ex ipsa disputatione Vinariensi tum ex privatis collationibus, illam insecutis, cum primis verò ex illorum libris publicè impressis, in quibus disertè & multoties hanc propositionem repetunt: Peccatum Originis est substantia (Irenæus libro suo hunc titulum praefecit: Confessio de duabus propositionibus: Peccatum est substantia; & peccatum est accidens) hanc esse principalem controversiae nostrae propositionem, quam quaestio haec exhibet.

L. Ne autem varia vocis substantiae significatio ambiguitatem pariat, notandus duplex ejus usus. 1. generalis, quando vel pro materia & argumento circa quod versatur cardo totius rei ponitur, sic Augustinus: de substantia caritatis: Lutherus super psal. 51. homo peccator est substantia in Theologia: vel vim; naturam aut proprietatem alicujus rei notat; ut substantia morbi; Lutherus contra Latomum: substantia peccati est offensio Dei, id est, proprietas. 2. specialis, quatenus opponitur accidenti, & accipitur pro re, per se subsistente, quae proprium esse habet, & sustinet accidentia: Atq; hoc sensu, testibus Flacianis vox haec in disputatione hac accipienda est.

LI. Quia verò propositionem suam Illyricus & socij neq; in Veteri, neque in Novo Testamento monstrare possunt, statim ad rationes sese conferunt, quibus evincant, eam in sacris literis contineri; quarum tamen refutationem reservabimus ad ipsam συζητησιν.

LII. Nos quantum instituti nostri ratio fert, dogma hoc juxta compendiarium sane doctrinae normam expendemus, ejusq; falsitatem hoc demonstrare syllogismo conabimur:

Quod.

Quodcunq; dogma, 1. Scripturae sacrae. 2. Augustanae Confessioni. 3. ejus Apologiae. 4. Articulis Smalcaldicis. 5. & Catechismo Lutheri repugnat, illud rejiciendum & damnandum.

Dogma Illyricanum, quo peccatum ipsa corrupti hominis substantia flatur, repugnat.

LIII. 1. Scripturae sacrae: ex qua licet infinita propemodum adduci possent haec selectiora cape: Gen. 4, 7. in foribus peccatum tuum quiescit, sed sub te sit appetitus ejus, & tu dominaberis illi. Gen. 6, 5. & 8, 21: omne figmentum cogitationum cordis humani tantum malum ab adolescentia. Psal. 51, 7. Isa. 53, 6. & 58. 2. Joh. 1, 29. Joh. 8, 24. Rom. 1, 18. & cap. 7. Ephes. 4, 17. 1. Joh. 3, 4.

LIV. 2. Augustanae Confessioni. 1. quod nascitur cum peccato, cum concupiscentia; non est ipsum peccatum. 2. sine metu DEI esse & sine fiducia erga DEUM, non est hypostasis, sed accidens malum, impietas scilicet. 3. morbi & vitia non sunt ipsa substantia, sed vitia sunt in substantia. 4. Natura humana est à DEO. Peccatum non est à DEO. Ergo, Peccatum non est natura humana. ex Art. 2. & 19.

LV. 3. Ejus Apologiae: qua testatur, 1. materiale peccati Originis esse concupiscentiam p. 51. 2. naturam hominum corruptam & vitiosam nasci, p. 52. 3. peccatum Originis esse interioremmundiciem naturae hominum p. 53. 4. esse defectus seu privationem p. 55. & simul concupiscentiam, quae est in homine vitium p. 57. nec tantum corruptionem qualitatum corporis, sed etiam pravam conversionem ad carnalia in superioribus. p. 55. 5. esse secundum Hugonem, ignorantiam in mente, & concupiscentiam in carne. Ergo non ipsa mens non ipsa caro erit.

LVI. 4. Articulis Schmalcaldicis. 1. Peccator non est ipsum peccatum: homines facti sunt peccatores, Ergo. 2. corruptio naturae, non est ipsa natura quae corrumpitur. Peccatum est corruptio naturae, E. Art. 2. de Peccat. Huc refer illud: lex revelat, quam horrendum in modum natura hominis lapsa sit & funditus ac totaliter depravata, art. 2. de Leg. & haec poenitentia docet, nos agnoscere peccatum ut videlicet de nobis omnibus planè actum esse, & intus & in cute nihil boni in nobis esse. art. 3. de Poen.

LVII. 5. Catechismus Lutheri, id quod per singula breviter monstrabimus membra. I. Ex Lege DEI sic concludimus: 1. Nulla est participatio justitiae cum injustitia. 2. Cor. 6, 14. At si homo est ipsum peccatum DEUS legem tradens homini participaret injustitiae, atq; sic justitiae

eadem amitteret quod ἀτοπον. 2. Si DEUS accusat hominem in lege, quae substantia est, opus suum accusat: Sed non accusat opus suum: sed iniquitates patrum & filiorum Exod. 20, 5. Iniquitas autem hominis, non est ipse homo ἡσιν δὲ consideratus. 3. DEUS requirit in lege ab homine opera bona: sed haec ab ipsa iniusticia non requirit. E. 4. DEUS est DEUS etiam peccatorum Ex. 20, 5. DEUS non est DEUS peccati. E.

LVIIX. II. Ex symbolo Apostolico: hic reliquis omissis ea assignabimus, quae nostra proponit Concordia. 1. Ipsa hominis natura, quemadmodum initio à DEO pura, sancta & absq; peccato condita est, non est ipsum peccatum, quod per lapsum extitit, fatentibus ipsis Flacianis Atqui Adam post lapsum idem fuit homo specie, mansit eadem natura, idem corpus, eadem anima, (quoad ἁρτίαν) hypostatice unita. E. etiam Adam post lapsum quoad essentiam non est peccatum. 2. Quicquid etiam post lapsum est & manet Dei creatura, id non est ipsum peccatū. Ratio 1. opus n. Dei non est opus Diaboli. 2. omnis Dei creatura bona est, 1. Tim. 4, 4. Adami & Evæ corpus & anima quin & corpora & anime nostra post lapsum sunt & manent Dei creaturae, etiā si sint iā corrupta. Job. 10, 8. Ps. 100, 3. & 139, 14. Ecc. 12, 1. Joh. 17, 28.

LIX. 3. Filius Dei unione personali aut peccatū assumpsit, aut diverse speciei carnem, aut peccatum non est ipsa hominis ἁρτίαν. Sed non assumpsit peccatum, 2. Cor. 5, 21. Heb. 4, 15. & 7, 26. nec alienam sed nostram carnem, cuius ratione frater noster factus est, Heb. 2, 14. 16. E. 4. Christus carnem quam assumpsit, redemit, τὸ ἃ ἀπέσθη πῶν ἀφερέσειτον, Peccatum non redemit, sed opus hoc Diaboli dissolvit. 1. Joh. 3, 8. E.

LX. 5. Homo sanctificatur, peccatum non sanctificatur, 2. Cor. 6, 14. E. 6. Homo à mortuis resuscitabitur, Joh. 19, 25. Peccatum non resuscitabitur, sed in beata illa resurrectione planè abolitum erit. E. 7. Deus homines pios ingenti gloria ornabit, Job. 19, 26. & salvabit. Peccatum neq; gloria ornabit, neq; salvabit. E.

LXI. III. Ex oratione Dominica. In qua Deum oramus 1. ut verbum suum in nobis sanctificet. 2. regnum in nobis inchoet. 3. ut sic toti voluntatem Dei faciamus. 4. nos & nostros conservet. 5. debita remittat. 6. & nos ab omni corporis & anime malo liberet. Quae ipsi peccato tribuere absurdissimum 1. neq; enim sanctificatur, 2. neq; in eo Deus habitat. 3. quia voluntati divinae contrarium. 4. ideoq; nec à Deo est, approbatur aut conservatur. 5. nec peccatum peccato remittitur. 6. aut idem à seipso liberatur.

62. 6. Ex

LXII. IV. Ex articulo Baptismi sic patrocinamur: 1. A quo homo abluitur, illud non est ipse homo; A peccato in Baptismo abluitur homo. E. 2. Vetus homo in Baptismo submergitur & suffocatur. Anima rationalis non submergitur aut suffocatur.

LXIII. V. Ex doctrina clavium & sacra cœna. 1. In illis consequimur Remissionem peccatorum: non verò substantia humana. 2. accipimus corpus & sanguinem Christi: nulla autem conventio Christi & Belial ejusq; operibus.

LXIV. Cum ergo ad oculum quasi demonstratum sit statera nostra compendiaria dogma Illyricanum appendi nullo modo posse, meritò illud rejicimus, repudiamus atq; damnamus.

Q U Æ S T I O I I X.

Estne ergo Peccatum Originis ACCIDENS?

LXV. Sunt quidam Neutralistæ, qui pacis & Concordiæ causa (ut prætendunt) peccatum Originis neq; substantiam neq; Accidens dicere volunt: Sed præterquam quod tales ex ore Dei evomendi, teste Christo Apoc. 3, 17. ipse etiam Flacius hanc immediatam divisionem agnoscit, in præf. Demonstr. fol. 12. Quis quaso, inquit, tandem intelligat, quidnam ista tanta pestis sit, si non licebit ejus essentiam aliquibus appositisq; vocibus explicare & asserere, quod sit vel substantia vel accidens.

LXVI. Cum autem præcedente questione satis superq; demonstratum sit, peccatum Originis ad substantiarum classem referri non posse; necessariò consequetur, accidentibus esse accensendum.

LXVII. Et quamvis in Scriptura $\kappa\tau\prime$ $\rho\eta\tau\acute{o}\nu$ propositio hæc; peccatum est accidens; non habeatur, æquipollentes tamen & similes locutiones magno numero invenire licet. Rom. 5, v. 12. sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit. Rom. 7, 17. Iam non ego illud operor, sed habitans in me peccatum; scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum v. 21. Invenio legem volenti mihi facere bonum, quod malum mihi adhereat, v. 24. infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus. Heb. 12, 1. deponentes omne pondus & circumstantans nos peccatum, Rom. 6, 12. non regnet peccatum in mortali vestra corpore. Eph. 4, 18. per ignorantiam, qua illis inest. Proverb. 22, 15. Stulticia colligata est in corde pueri, &c.

LXVIII. Ex quibus sic inferre liceret: Cuiusque, tum nominis tum rei definitio convenit; et etiam ipsum nomen conveniat necesse est. Peccato Originis convenit nominis definitio: Accidens enim dicitur ab eo, quod aliunde accedit, seu ab accedendo, sed peccatum aliunde accessit, intrat & transijt in homines, habitat, circumstat, adheret eis, E.

LXIX. Convenit & rei definitio: Accidens est quod non est substantia in qua est nec pars eius substantiæ, sed in aliquo est mutabiliter. Peccatum Originis I. non est substantia in qua est; non enim 1. inhabitans est ipsum inhabitatum, 2. nec adhaerens est ipsum cui adheret. 3. neque circumstans, ipsum quod circumstat. II. nec partes eius substantiæ: non corpus; habitat enim malum in carne: non anima; stulticia enim castigata, est in corde: Consentit ipse Flacius in consensu triplici: hominis neque corpus neque anima-Physicè loquendo est ipsum peccatum Originis Hutt. pag. 118. III. sed in alio est mutabiliter; deponi debet hoc grave pondus, id verò in renatis quotidie per operationem Spiritus sancti fit, & in resurrectione consummabitur: ibi liberabit nos Christus à corpore mortui, à tetro illo quod inest malo.

LXX. Et sapienter admodum Scriptura ejusmodi utitur vocabulis, quæ nullo modo peccatum Originis substantiam esse important, sed defectum & infirmitatem esse clarè & manifestò indicant: Quæ in Veteri Test. sunt וַיִּפְּשׁוּ perversitas, וַיִּשְׁבְּטוּ transgressio, וַיִּשְׁבְּטוּ inquietamalitiam, פְּשָׁעוֹת peccatum erratum: in Novo Test. $\alpha\delta\iota\kappa\iota\alpha$, $\alpha\nu\omicron\mu\iota\alpha$, $\pi\alpha\gamma\epsilon\nu\epsilon\lambda\alpha\sigma\iota\varsigma$, $\alpha\mu\alpha\rho\tau\iota\alpha$, $\omega\delta\gamma\acute{\alpha}\nu\omega\mu\alpha$, $\eta\tau\eta\nu\epsilon\alpha$, $\pi\omicron\nu\nu\epsilon\iota\alpha$, $\kappa\alpha\kappa\iota\alpha$ & alia: quæ vocabula omnia in nulla lingua substantiam denotant, sed malum substantiæ, quo corrupta est.

LXXI. Neque hoc infringunt locutiones illæ concretivæ, sacre Scripturæ admodum familiares; quales sunt; vetus Adam, corpus mortis caro peccati. Subjectum enim cum vitio ijs notatur: Idem homo vetus dicitur etiam novus, si substantiam respicias: non enim magis aut minus homo est, sive vetus sit sive novus; quia nec vetustas nec novitas substantiale quid est sed accidentarium: sicut homo est ratione substantiæ sive juvenis sit, sive senex, sive sapiens sit, sive insipiens. De similibus autem idem esto iudicium.

QUÆSTIO IX.

Annon autem asserendo, Peccatum Originis esse accidens, illud valdè extenuatur? Ad-

LXXII. Admodum hic Rhetoricantur Flaciani, quasi hæc nostra doctrina extenuationem non solum mali Originalis, sed & gratia Spiritus S. gloria & meriti Christi secum trahat.

LXXIII. Si enim peccatum Originis est Accidens, sequi hinc dicunt, accidentia tantum alterari, atq; sic hominis naturam per se adhuc bonam esse, proindeq; non necesse fuisse Filium DEI incarnari, aut humanam naturam liberare; quia bona illa, non corrupta.

LXXIV. Fuit sane quidam, is contendit Peccatum Originis perinde se habere in homine, ut allium Magneti illitum, quod ejus vim naturalem trahendi ad se ferrum, impediret, verum eo remoto, Magnetem vim suam, quam intra se retinisset, licet antea externo impeditus accidente fuisset, iterum exerere & exercere.

LXXV. Sed nequaquam Concordia nostra Peccatum Originis tale est accidens, quod in externa tantum superficie hæret & facile separatur; sed profundissima totius nature depravatio.

LXXVI. 1. Quod enim nihil sanum, nihil incorruptum in corpore & anima hominis, atq; adeo in exterioribus & interioribus viribus reliquit, illud maximum malum merito judicatur. Sed ut Ecclesia canit: Lapsus Adæ vi pessima, Humana tota massa, Natura & ipsa essentia, corrupta luce cæca, &c. E. 2. quod malum verbis revera inexplicabile, neq; humana rationis acumine indagari, sed duntaxat per verbum DEI revelatum agnosci potest, id intimum, summum, profundissimum erit. Peccatum Originis tale malum est. E. 3. Quod non nisi divina virtute separari potest malum, non leve putandum. Sed hanc nature corruptionem ab ipsa natura, nemo nisi solus DEVS separare potest; id quod per mortem in beata illa resurrectione plenè fiet. Ibi enim ea ipsa natura nostra, quam nunc circumferimus absq; peccato Originis & ab eodem omnino separata & remota resurget, ac æterna fruatur felicitate. Job. 19, 25.

LXXVII. Satis his exaggerari peccatum Originis credo, quod si tamen plura cupis hæc ex Wigando cape: Hæc sunt, quæ atrocitatem Peccati Originalis revera exaggerant. 1. quod Omnes in hac malitia nascuntur. 2. quod totam hominis substantiã pervasit & depravavit. 3. omnes vires & proprietates corporis & anima vitiauit. 4. omnes reos temporalium & æternarum pœnarum reddidit. E. etiam elementa propter hanc luem vanitati subjecta. Rom. 8. 5. Diabolo late patens & potens imperium in mundo concessum. 6. est illa lues fons uberrimus omnium peccatorum etiam

C

auditu

audita horrendorum. 7. tam altas radices egit, ut in regeneratione non plene exuatur, 8. quin imò tam potenter resistit Spiritui, ut nisi DEVS sustinet, in atrociam facinorapios impellat. 9. quos etiam omnes, licet per severantes in fide vera in Christum, trucidat. 10. Nec alio merito potuit hoc ingens malum ab hominibus tolli, nisi per humiliationem unigeniti Filij DEI summam, qua vel sola res fatis super q³ magnitudinem peccati Originalis exaggerat.

LXXVIII. Neg³ opus est, ut falsis dogmatibus exaggeretur doctrina DEI: id quod sit Elaciana illa propositio: Peccatum Originis est substantia. 1. blasphemum enim hoc fuit Manichæorum dogma jã olim damnatum. 2. Diabolum collocat in solium creationis. 3. delet beneficiũ Christi propter substantiam enim, quam Diabolus corruerat nũ passus erit? 4. perit omnis consolatio; quia nulla regeneratio (peccatum enim non regeneratur:) nulla spes vite eterne qua est, quia peccatum Originis nunquam coram Deo vivet. Plura afferri possent; sed instituti nostri ratio non permittit.

QUÆSTIO X.

An B. Lutherus Manichæus fuerit?

LXXIX. B. Lutherum fuisse alienissimum à Manichæorum furoribus, scripta illius luculenter monstrant: sed hac in controversia verè accidit ei, de quo conqueritur in Præf. Art. Smal. quod falsi fratres doctrinam ejus simpliciter contra ipsum asserre & allegare audeant; virus suum ejus labore exorrent, & miseros homines ejus sub nomine decipiant & seducant. Vix enim recentiores Manichæi tria proferunt verba, mox immanem testimoniorum Lutheri sarraginem (sed male detortorum & intellectorum) subjiciunt.

LXXX. Nos Compendium rei facturi, ipsa Lutheri dicta, quibus furoribus his contradixit, non annotabimus; Interim hoc urgebimus adversarios Syllogismo: Quicumq³ statuit Peccatum Originis. 1. amissionem, privationem, & carentiam optimarum rerum in homine esse, 2. esse corruptionem talem, qualis cœcitas in oculo. 3. herere in natura, eiq³ aspersum & affusum à Satana. 4. esse expurgandum & separandum à natura ea manente salva per Christum. 5. esse malum separabile à natura. 6. diligenter quoq³ urget, naturam ut DEI creaturam & peccatum Originis ut opus Diaboli distinguenda. 7. talibus quoq³ utitur similitudinibus, quibus vitium non subjectum exprimitur, ut lepræ, veneni, vulneris, morbi. &c. illi non nisi per insignem injuriam Manichæi error tribui potest. Sed beatus noster Lutherus ita docuit, ita scripsit ita sensit, de peccato Originis, id quod
Heshusius

Heshusius in suo Antidoto ad sufficientiam ostendit, quo etiam nos Lectorem remittimus. E.

LXXXI. Sed obstare his videtur, quod B. Lutherus malum hoc nunquam Accidens aliquod appellavit, imò Qualitatem esse negavit; talibusq; verbis usus, quæ ipsam notant substantiam; vocavit enim malum hoc Originis, peccatum naturæ, Personale, Essentiale.

LXXXII. Verum salva res est. 1. Licet B. Lutherus vocula accidentis usus non sit; ex supra dictis tamen manifestum est, ipsum ab ea non abhorruisse; nec dubium si mota hæc fuisset controversia, voculam hanc re-
tenturum fuisse. 2. Quod enim qualitatem esse peccatum hoc negavit & sic accidens; non eo sensu voculam hanc, quo nos accepit sed scholastico, qui le-
vem quandam qualitatem illud esse sinxerunt: qualis color in pariete: quod ergo ex sensu sophistarum & secundum quid B. Lutherus loquitur, id simpli-
citer non accipiendum.

LXXXIII. 3. Natura nos filios iræ esse Scriptura dicit; sed natu-
ram ipsum peccatum esse nusquam dicit: Vox enim natura quandoq; ipsam
hominis substantiam significat; interdum ingenium, conditionem, defe-
ctum aut vitium alicujus rei, in ipsa natura infixum & inherens. 4. Discri-
men etiam retinendum inter peccatum Originis quod natura infixum, &
peccata actualia. Peccatum enim Originis non est quoddam delictum quod
actu perpetratur: sed intimè hæret infixum ipsi naturæ, substantiæ & es-
sentiæ hominis, &c. Form. Concord. p. 775.

LXXXIV. 5. Proinde concludimus verbis B. Lutheri in cap. 3.
Genes. Manet quidem natura sed multis modis corrupta: siqui-
dem fiducia erga DEUM amissa est, & cor plenum est diffi-
dentia, metu, pudore: sic manent in natura membra eadem: ::
sed quæ antea nuda cum gloria conspiciebantur, nunc tan-
quam turpia & inhonesta velantur.

Hactenus Lutherus.

F I N I S.

Handwritten text in a medieval script, likely Latin, arranged in several lines. The text is faint and difficult to decipher but appears to be a list or index of entries.

FINIS



822 A 33

ULB Halle 3
001 586 408




Sb

ber

EO-Ry
03.10.1
DM







29



OM THEOLO-
EPITOME FOR-
ONCORDIAE
AS II.

TO ORI-
NIS,

ESIDE
POLYSERO

entiato & Profefs.
rdinario.

NDENTE
STROMAIERO
li Suevo.

em 16. Martij horis
matutinis.

BERGAE,
MANO, Anno 1611.

